



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. Si Episcopi invaderent jurisdictionem regiam, prohibitionibus & mulctis utebantur judices seculares, exemplo Justini Imperatoris, qui lege coërcuit Defensores Ecclesiarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

resistendo, & cum ea moderazione quam superiori quaestione, ubi de iniquis & Ecclesie perniciosis dispensationibus, assignavimus.

CAPVT XVIII.

Synopsis.

I. Si Episcopi invaderent jurisdictionem regiam, prohibitionibus & multis tuebantur iudices seculares, exemplo Justiniani Imperatoris, qui lege coheruit Defensores Ecclesiarum.

II. Bona Clericorum capta ad tuendam jurisdictionem regiam, ex Ivone, è Capitularibus Caroli Calvi, Hincmaro, & Philippo quarto. Principes nostri non nisi sunt expulsi à sede, que erat pœna à legibus indicta, quam Constantinus induxit. Suspendio ab officio irrogata à Justiniano, & à Theodosio. Sed hic sequebatur Concilium Ephesinum adversus Joannem Antiochenum. Hispani pellunt regno contumaces Episcopus, & reditibus privant. Modestius se gerunt Galli.

III. Vetiium à Concilio Lugdunensi ne iudices ecclesiastici cogantur censuras tollere, personis vel bonis captis; aut qui his utuntur, eorum usu desistere.

IV. Lex illa recepta olim à Gallis; sed interpretatione adjecta; ita ut locum haberet in vera censura, non autem in ea qua est nulla, quæve jura regia violat. Hac interpretatio continetur mandatis Philippi IV. perlatis ad Pontificem per Episcopos legatos Regis, in causa Capituli Carnotensis. Bona capiuntur, non propter censuras præcisè, sed propter invasam jurisdictionem. Baillivus Carnotensis de juribus regis se respondurum cæter in curia Regis, de spiriuali coram iudice competententi.

V. Ea interpretatio locum semper habuit in Gallia, statim post Concilium Lugdunense. Vetiium tamen lege Philippi IV. ne domus diruerentur, ut antea fiebat. Bona capi solita, post Concilium Lugdunense docent Durandum Episcopum Mimatensis & Guillelmus de Nogareto.

I. **Q**UÆ hucusque diximus observata sunt, si à Romana curia juribus regis injuria fieret. Quando autem ab Episcopis regi in detrimentum secularis jurisdictionis aliquid tentari contingebat, regij magistratus regiam jurisdictionem tuebantur prohibitionibus decretis adversus Clericos; & deinde si contra niterentur Episcopi aut eorum Vicarij, & jurisdictionem quoque suam censuris defenderent, pœnale iudicium adhibebant, scilicet pignorum capionem, & multarum exactionem, donec ab invasione cessatum esset. Hac ratione compefcuit olim Defensores Ecclesiarum Justinus Imperator, constitutione lata, qua illos monet ut ab infuinatione testamentorum abstineant, quæ soli Magistro census in urbe regia competebat, pœna quinquaginta librarum auri temeratoribus legis indicta. Defensorum Ecclesie munus Clericis ab Episcopo conferebatur, ut patet è canone 11. Concilij Chalcedonensis; qui longè dif-

ferunt à Defensoribus Ecclesiarum, quos ab Imperatore petendos decrevit Concilium Africanum, ad tuendos patrocinio suo pauperes. de quibus alibi à nobis dicitur.

II. Hujus bonorum capionis exemplum peti potest ex Ivone, qui refert contentionem quæ orta erat inter Regem Ludovicum VI. & Belvacensem Clerum, ob accusatorem adversus Canonicum illius Ecclesie institutam. Hinc privilegio personæ, Belvacensis Ecclesia Clerici cognitionem ad se trahebat; inde, facti conditione curia Regis iudicium sibi assererat. Consultus Ivo à Belvacensibus respondit, si audientia regalis curiæ respueretur, Regem offendi; ceterum eorum desiderium jure niti. Attamen obfistendi pertinaciter consilium non præbuit; quia nesciebat an parati essent ad ea incommoda ferenda quæ hanc contumaciam sequebantur; quorum ille descriptionem his verbis instituit: Si autem sciremus vos esse paratos ut cum gaudio tolerare possitis ruinas domorum, exterminationes corporum, rapinas bonorum vestrorum, possemus vos exhortari ut sequeremini consilium Susannæ, que magis elegit in manus hominum incidere quam Dei legem derelinquere. Sed quia in donis spiriualibus consilium & fortitudo conjuncta sunt, consilium aliud nisi quod patientia vestra tolerare possit, dare non audentus, quia qualis vestra sit fortitudo ignoramus. Vidimus superiùs, ex Capitularibus Caroli Calvi, decimas interverfas, si præceptis regis non obtemperaretur; & ex Hincmaro, bonis suis exturbatos Episcopos, si Regis jurisdictionem auctoritate ecclesiastica infringere vellent. Quod obtinebat adhuc seculo Ivonis, id est, circa annum

nō etiam temerarios præfinita fecerunt ferientur quinquaginta librarum auri.

Ivo epist. 117.

Ivo epist. 171.

MCXV, ut patet ex hac epistola, & ex altera ejusdem auctoris superiùs laudata. Quæ consuetudo edicto Philippi IV. firmata, ad hæc usque tempora perduravit. Alienam à temporibus suis & ab ecclesiasticæ disciplinæ reverentia Principes nostri existimarunt pœnam illam quæ contumacibus Episcopis irrogata est aliquando ab Imperatoribus Romanis, nempe expulsio à sede, & suspensio ab executione officij, ut ex Justiniano superiùs ostendimus. Quod ille non invexerat in Ecclesiam, sed à decessoribus suis hauserat; quorum constitutiones, expulsionum, exilij, & multarum comminationibus Clericos frequentissimè terrent. Quibus Constantinus prævissè videtur, qui epistolæ qua Episcopos ad Concilium Tyrium evocat, has minas inserit: Quod si quis, sicut minime suspicor, nostrum mandatum etiam jam callidè rejicere studens, recuset ad Concilium adventare, hinc à nobis aliquis mittetur qui eum regio mandato de dignitate sua dejiciat, docetque non

Apud Theodoret. lib. 1. c. 12. & in Basilien. synodo 2. cap. 21. & in Chalced. 2. c. 2. & in 1. concilio 2. c. 21. & in 2. concilio 1. c. 21. & in 3. concilio 1. c. 21.